

universelle. IX. lib. 105. p. 130. parlant d'après DOM MABILLON, *Annales Ordinis Sancti Benedicti.* lib. V. p. 203.

CHARTREUSE DE LIÈGE. — HOMMES.

1357 Vivebat hac tempestate (anno 1353) adolescens quidam vitæ, morumque innocentia supra æstatem spectabilis. Qui aliquando inter rerum divinarum commentationes animo supra se rapto in cœlestia, viros candida veste tectos sibi visus est in Cornelii monte videre, seque adeo illis immisceri. Omnes porro sacram ædem structo agmine ingressi, suo quisque ordine campanum æs attracto fune, qui e medio laqueari dependebat, cum agitassent, in chorum se infreabant.

Creditum est hoc viso Deum significare: cordi sibi esse Carthusiensibus monachis locum istum addici; quibus præter vestis candorem solemnis est ille ad sacra conveniendi ritus. Probavit Enguelbertus (Leodiensis antistes): et postquam arcem religiosæ familias jussisset aptari, datis suo, clericu nomine litteris ad Conventum generalem Ordinis Carthusiani, obtinuit ut collegæ aliquot, anno tertio et quinquagesimo mitterentur.

Sed frigescente mox Enguelberti aliorumque ecclesiæ præsidum religione, cum vitam traherent in magna egestate, qui missi fuerant, et jam de statione deserenda cogitarent; cuidam e nobilioribus canonicis longe ditissimo, sanctiorem injectit Deus mentem. Illo enim liberaliter victimum subministrante, vitam eam e legibus suis sic instituerunt religiosi illi ascetæ, ut illecti exemplo plerique, et primus omnium is ipse adolescens, eidem se tradiderint disciplinæ. Pullulavitque insigni fœcunditate sanctum hoc germen magno publicæ rei bono in hanc æstatem.— FISEN. II. 118. ex DORLANDI *Chronico Carthusiensi.* CAP. 30.

**Missi sunt anno 1337. Ita Commentaria domestica Carthusiae eti
alii anno uno serius consignent. Vide FOULLON. *Historia Leodiensis.*
I. 430 in margine.**

Extrait d'un manuscrit en parchemin intitulé : *Liber de servis et aqua Sancti Pauli Leodiensis*, folio CLXXXIII recto et verso, et folio CLXXXIII recto (1).

..... Quam siquidem posteriorem aulam cum tota domo sua edificari fecit vir militaris Helmicus de Mulant ex ducatu Clivensi tunc canonicus Sancti Pauli Leodiensis contemplatione Adulphi de Marcha tunc Leodiensis episcopi plerumque ibidem conversantis. Qui siquidem Adulphus tandem ipsi Helmico providit de canonicatu in ecclesia Leodiensi. Is Helmicus postea tempore Enghelberti de Marcha episcopi Leodiensis promovit erectionem monasterii Carthusiensis extra et prope muros Leodienses.

Pro quo sciendum quod locus in Cornelio Monte olim tempore Henrici imperatoris quarti continebat solum quamdam capellam novellam, in qua corpus eiusdem qui excommunicatus decesserat aliquandiu ea nondum consecrata steterat. Et tandem per institutionem Ordinis Premonstratensis devenit ibidem quedam abbatia. Cuius abbates dicebantur de Cornelio Monte dicti Ordinis Premonstratensis ut patet ex pluribus litteris apud ecclesias Leodienses. Fuitque huius modi abbatia translata infra civitatem Leodiensem in loco nunc dicto Bello Reditu tempore Johannis de Flandria episcopi Leodiensis. Apud Carthusienses autem habetur quod id accidit ex cambio, quodque ex tunc fuit ibidem in Cornelio Monte factum unum castrum. Sed tempore labente orta discordia inter episcopum et civitatem,

(1) Par Daniel de Blochem, chanoine de cette Collégiale, mort en 1467.
Ce volume appartient aux Archives de la Cathédrale de Saint Paul, à Liège.

civitas castrum destruxit. Deinde exfluxis multis annis post castri destructionem, ordinatum fuit ibi monasterium Carthusiensium ex bonis Johannis de Brabantia civis Leodiensis, sub episcopio dicti Engelberti de Marcha defuncti qui bona sua reliquerat monasterio Sancti Jacobi cum onere gravi. Sed fratribus Sancti Jacobi onus iniunctum responentibus, ipse Engelbertus episcopus disposuit bona ad opus unius monasterii Carthusiensium in monte predicto, locum tribuendo ex provisione Helmici antedicti prepositi etiam Sancti Bartholomei Leodiensis, anno Domini M.CCC.L septimo. Sed anno ex tunc LX^e convenerunt ibi primum certi fratres ex ordinatione capituli generalis eiusdem Ordinis (1).

Le refuge de la Chartreuse au faubourg de Liège, étoit situé dans la maison de M. Granchamps dans la Chaussée des Prez, entre le pont de Bavière et celui de Saint Julien. Elle en possédoit un autre à Tihange, près de Hui.

(1) Les Chartreux prirent possession de leur maison le 4 juin 1357. Helmicus de Moylant mourut le 3 juillet 1370 et fut enterré dans leur église. Voz J. DE THIEUX. *Le Chapitre de Saint Lambert à Liège.* II. 90-91. 1871.